



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Parallela Geographica Italiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1649

Nvm. 3. Vrbes Sabinorum, & Latinorum dubiæ assignationis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13120

- SABI- } Auens, à quo volunt aliqui dictum montem Auentinum, sic Seruius ad 7. Æneid. hodie Curesius dicitur *Curese*.
- NO- } Telonius ex Marfis fluens, à scriptoribus medij æui dictus Tolenus, cadit iuxta Reate in Fl. Velinum: hodie *Turano*, ; ad hunc Rutilius cæsus à Marfis.
- RVM } Fabaris, seu Farfarus, nam utroque modo dicitur: hodie *Farfa*.
- CIS } Allia clade Romanorum celebris, Lucano Alia primâ correptâ, hodie *Caminato*, aliter *Rio di Mofso*, hoc est
- VELI- } Mortis, ait Leander.
- NVM. } Himella Cures alluens: hodie *Aia*, seu *Laita*.
- FONS } BLANDVSIA fons Horatio celebratissimus & eius villam Vsticam alluens, ex radice montis Lucretilis existit, hodie *Monte Libretti*: Is fons postea cadit in Digentiam Fl. hic in Mandelam, ille in Auentem. Ad hunc Vacunæ fanum, seu Sacellum, quam aliqui putauere Dianam, alij Cererem, alij Victoriâ deam vacationis, alij denique Mineruam, seu Sapientiam, quia Sapientes maximè vacare debent.

NVM. 3. *Urbes Sabinorum & Latinorum dubie assignationis, partie de Sabio.*

- ANTEMNA, & Antemnæ, sic dictæ quasi ante amnem positæ Varroni, ergo cis Anienem, locus primo bello Romanorum celebris: *ubi fuerit nescitur*; incolæ Interamnates appellabantur.
- CÆNINA, incolæ Cænitæ, & Cæninenses, cuius rex cæsus à Romulo prima spolia Ioui Feretrio suffecit: *situs eius ignoratur*.
- COLLATIA, incolæ Collatini, vnde Lucretiæ maritus. Sic dicta quia condita ab aliis ciuitatibus eò opes suas conferentibus, ait Festus; hodie *Vicus S. Agnetis*, corruptè *S. Agnese*.
- FICVLNEA cognomento vetus, aliter Ficelia, & eius ager Ficulensis; ab hoc agro via Nomentana dicta quoque Ficulensis Livi: vrbs hæc sita fuit ad *Castellum S. Clementis*.
- NOMENTVM: hodie *Lamentano*; vrbs antiqua Lomentum postea dicta: de eius etymo ignari nugari solent.
- FIDENÆ, & Fidena, incolæ Fidenates in Ro. historiâ celebres,

non procul ab Anienis, & Tiberis confluentiis Latio. Tempore Tullij florebat, Horatij deficiebat: Strabo ait sua ætate tantum villam fuisse, quomodo ergo eodem tempore sub Tiberio casu theatri tot hominum millia obruti sunt?

Corniculum vnde montes Corniculani, situm *ad turrem Vergatam.*

§. 3. *De Samnitibus qui proles Sabinorum dicuntur, Historica.*

HIS complectimur Picentes (& ab iis decerptos Picentinos, de quibus in Campaniâ) Vestinos, Marrucinos, Frentanos, Pelignos, Marfos, Samnites propriè dictos, & eorum consanguineos Hirpinos, quos omnes ex Sabinis oriundos disertissimè Strabo asserit.

NVM. 1. *De Picentibus, seu Piceno.*

NOMEN. Olim dicebantur Picentes, modò Picentini; sed ex quo Picentini in agro Campano collocati sunt ad mare inferum, hi desierunt appellari Picentini; apud Stephanum perperam Piciantes nominantur, ab aliis etiam Paciantes. Regio autem modò ager Picenus, modò Picenum dicitur, Appiano Πικηνὸς ἄγος, Straboni Πικερτίνη.

ORIGO. Picentes orti sunt à Sabinis; sic Strabo, & Plinius: inde emigrarunt in hæc loca aue Pico eos deducente, inquit Strabo lib. 5. Festus ait eorum vexillo Picum aue insedis. Silius tamen putat hanc Coloniam deduxisse Picum Regem: ex eâ autem regione Siculos & Illyricos depulerunt. Reperiuntur tamen aliqui apud Festum Pompeium qui Picentes accersant ex Illyrico, & inde dicant profectos sub hospitiiis regis sui Volsini, cui cognomen Lucullo fuit; eius autem nepotes fuisse Pacinum & Pelicium à quo Picentes, & Peligni vocibus nonnihil detortis appellati sunt.

QUALITAS. De agri huius fertilitate vide Strabonem lib. 5. Liniuum 22. Florum lib. 1. cap. 14. fuit autem hæc regio tam populosa, vt scripserit Plinius lib. 3. cap. 13. anno V. C. 485. trecenta septuaginta millia Picentium in fidem populi Romani venisse.

FINES. *Ab Oriente* mari supero Picenum cluebatur; *ab Occidente* Æsi Fl. & lineâ ab eius medio ducta ad montem Fiscellum, quibus